

Johann Sleker Johannes Clüver

Exercitationum Philosophicarum Secunda. De Intelligibili Et Ente


Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729131203>

Druck Freier  Zugang



F. Leker.
R. U. phil. 1612.



3 7
D. T. O. M. A.
Exercitationum Philosophicarum
Secunda. 146.

DE INTELLIGI-
BILI ET ENTE.

PUBLICICE PROPOSITA

à

M. JOHANNES SLEKERO
Ph. P. P.

RESPONDENTE

IOHANNES CLUVERO
Holsato.

Habebitur disputatio in Auditorio majori
26. Septembris. h. à 6. mat.



ROSTOCHII
Typis exscripsit Joachimus Pedanus
ANNO M. DC. XII



Prima Intelligibilis, autore Timplero, spectata divisio: nihil ex
hac classe rejectum: quaestiones c. 1. obiter perlustratae: nova ejus
de subiecto Metaph. exploditur sententia.

THESES I.



V hoc anni tempus est, fruantur qui velint, no-
vis autumni donis. Mihi novas Timpleriana
Metaphysica Athenas animi gratia adire visum est.
2. Novarum illic opinionum, ut noctuarum
quendam, permagna copia. Quas inter primas
facile obtineat, & majoris pretij videatur, quam
de Intelligibili hedera suspensa venditatur lib. 1. c. 1. & 2.

3. Intelligibile inquit, dicitur omne id, quod Intellectu per-
cipi & comprehendi potest.

4. Idq. cap. 2. inauditis aquivocationum tractibus, per
agrum sua Metaph. novis distinctiunculis feracissimum, magna
cura diffundit: quarum prima haec, quod Intelligibile illud sit
vel nihil vel aliquid.

5. De nihilo quod ait, ne forte cui nihil esse videatur aut
fistile frivolumq. pariat sophisma; ex quaest. 2. c. 2. notasse oportet,
nihil hoc loco non considerari ut vocem, sed ut id, quod per
vocem illam significatur.

6. Et tum querere mihi à Timplero libet, num haec vox, Ni-
hil aliquid significet? Et aliquid cognoscenti representet? Et
quatenam hoc aliquid sit? anne idem cum illo, cui in prima hac
& universalissima Intelligibilis divisione opponitur? an vero ali-
quid aliud? Et omnino, an quod per hanc vocem (nihil) signifi-
catur, sit aliquid Intelligibile?

7. Vocemus enim ad has partes, quod lib. 3. c. 3. q. 2. ab illo
statutum est, significare, nihil esse aliud, quam representare ali-
quid cognoscenti, usq. verbis ad prima quaesita responsum esse puta-
bimus: Secundu quoad voluerit, soluta sint, & integra: postre-

num vero (An nihil aliquid intelligibile) cum ex receptissimū loquendi ac querendi consuetudine depromptum sit, satū arguit subtilem illam & supremam Intelligibilis distinctionem, vel nullo vel confusam & Sophisticam esse; cum de nihilo jam dicatur esse aliquid Intelligibile.

8. Quin vero objectionis illius, quam q. 3. exhibes, solutio, aliam ex se parere cuiquam videatur, quarenti, An vox illa (nihil) mentis aliquem, dum intelligitur, pariat conceptum? quo concesso, quaestio est, an is aliquid sit? an nihil? an vero inter horum utrumq; medio quasi loco constitutus?

9. Qua de re quoad Timplerius deliberes, nos argumenta videamus, quibus Quaest. 1. fretus, ad classē intelligibilium Nihil referre ausus est.

10. Ubi primum quod de duobus summis generibus ait, ex animine sententia dictum arbitremur ab eo, cui nihil magis in ore est, quam utrumq; illorum ad unum Intelligibilis genus reductum haberi? cuius etiam edicto, non Entis ambitus ad utrumq; q. 3. sese extendit?

11. Quam vero iniquē inter haec genera comparatum sit, palam ostendit Timp. cum alterutrum illorum, per notionem alterius, quod de ipso simpliciter negatur, intelligibile esse docet. Sic enim per accidens nihil intelligi, neq; quicquam ex se, cuius ratione intelligibile dicatur, menti representare, aut ullum parere conceptum, qui contra oppositae speciei distinctus sit, manifestissimum est.

12. Per accidens vero quod est, neq; genus cum eo quod Per se subire natum est, neq; in communionem affectionum venit, vel scientiam ingreditur, nisi per accidens; adeoq; subjecti pars aut species esse nequit: cum potius unitate soluta, essentiaq; subjecti plane eversa, equivocationum futiliumq; assertionum Labyrinthis omnia involuat.

13. Non ergo per oppositum suum ad scientiam trahitur, sed sūcitur: neq; Intelligibilis rationem suscipit, sed illi se potius subducit:

ducit: Et eam in Intellectu speciem parit, quam tenebra in oculis, silentium in auribus.

14. Qua duo postquam objectis visus audituq; a scripta fuerint, & in eam sani homines opinionem venerint, ut aliquid se audire & videre existiment, dum tenebra profundissima & altum ubiq; silentium est, Timplero etiam nihil intelligenti favebunt.

15. At vero, inquit Timpl. quid de axiomatibus illis fiet, qua terminum hunc (nihil) receptant, si nihil intelligibile non est? v. g. ex nihilo fieri nihil. annon principia plurima & omnibus notissima extra intellectiōnis nostrae aleam posita sic erunt? Non erunt, inquam ego.

16. Ut enim quod verum est omne, ipsaq; effata, (v. g. ex nihilo nihil fit) Entia quidem sunt; neq; tamen particula quibus constant, Entium ob id in numero sunt, ita & Intelligibilia dicuntur, & veram menti sententiam exponunt; nec particula tamen singula seorsim accepta, ob id vera & intelligibiles.

17. Accedit, quod ne ipsa quidem propositiones ita Intelligibiles sint, ut partem speciemq; subjecti alicujus scientifici, vera certaq; notione constituent: adeoq; Timpleri argumentum illud, non falsum tantum, sed etiam alienum sit: imò rem ipsam, cui asserenda conductum erat, plane evertat.

18. Cum enim haec vox (nihil) prima sui impositione destinata sit remotioni & negationi ejus cui adjungitur; & haec ipsa ejus significatio sit: Intellectus certe officio suo in propositionibus illis (v. g. ex nihilo nihil fit) intelligendis nequaquam desunctus videbitur, nisi Grammatica vocis notione percepta (vocem enim intelligi, uti nemo negat, ita ad rem nihil facit) omnia removerit, ut ne hilum quidem alicujus reliquum faciat.

19. Quid ergo, si intelligibilitas ei relinquatur? & talis quidem, cujus ratione subjecti Metaphysica partem constituat? An nō intelligibilitas aliquid est? ut Columella illud de nihilo quod Platoni ἀδρανόθεν, ἀπὸ μηδενος, ἀδρόθεν, jam locum habeat; Magnae rei, quantumcumq; etiam possederis, participem esse, non minima gloria est.

20. Et talis est, quam Philosophica libertatū usurpatione
Goclenius in divisionis hujus censura meruit, cum inquit: Disce-
do hic à doctissimo Timpl: quia aliquid ponendū fuerat ante nihil.

21. Ego vero ad eandem reversus, quasi verim, cum tertia
quæst. statuto, nihil haud equipolleat. non Entis & vero non
Eus (ut ibidem ait) ambitu suo complectatur, Aliquid & nihil
ad hanc vero intelligibilem classem, absq; omni Timpleri dubio
pertineat. non Ens; quasi verim inquam cur tandem non Enti
in ordinata isthuc Intelligibilem structura locus sit datus nullus?

22. Cumq; non Ens eadem cum Intelligibili species obti-
neat, eritne Intelligibilis & non Entis natura una? abnuet
Timplerus: nec ad hoc tamen respondere dedignabitur, Num In-
telligibile ad hasce species (tales enim agnoscit aliquid & nihil)
immediatè descendat, an vero medio non Ente?

23. Si immediatè: utiq; in Intelligibilem censu non ens
aut non erit, aut illorum alterutri subijci necesse est (eritq; idem
respectu ejusdem, strictius & communius, Idem quod alteri inest,
& cui alterum inest) vel nihilo equipollere, quod quæst. 3. negan-
dum susceperat.

24. Si mediate: ut alia mittam, qua hanc rem in Schola
Timpl. consequentur incommoda, sufficiat quæstioni 2. sic apertè
contradixisse.

25. Præsidium quod huic rei Quæst. 3. paratum delitescit,
age videamus. non Ens quippe dupliciter accipere ait, 1. simplici-
ter & sic equipollere nihilo. 2. secundum quid; & sic redigi ad
Ens, & Aliquid esse.

26. Non Ens vero aliquid esse? & essentiam esse Non ens
Timplere, cui unquam sano homini persuaseris? qua tamen de re
cum aliàs agere decretum sit, non Entis & Nihili equipollentia
hujus loci erit, eaq; notissima huic divisioni superstructa, qua u-
trumq; horum (non ens & nihil) in negativum & privati-
vum dispicitur.

27. Illud ἀπλῶς, tam subiecti quam forma ratione uti non
ens

Entis, sic etiam nihil est: hoc vero *negat* π , ratione videlicet forma Non ens & nihili ratione subjecti v. cui certo vinculo annexum, Entis alicujus naturam obtinet & conditionem.

28. Ut ergo non ens simpliciter, equipollet nihilo simpliciter: ita non ens *negat* π equipollet nihilo *negat* π .

29. Sic rationis entis uti secundum quid non entia sunt, ita & nihil. Entis nempe & aliquid in mente: non ens & nihil extra mentem.

30. Sic materia ut forma compositiq; respectu est non ens, ita & nihil: ut nihil ferme decantatum magis sit, quam hoc, Materiam nihil esse eorum, qua ex illa fieri queant.

31. Sed ut Timpleri ista relinquuntur arbitrio, accepta non entis illa sumptione duplici, ad priora redeuntibus nova sese offert dubitatio, Quodnam illud Non ens sit, cujus ambitu aliquid & nihil contineantur.

32. Ubi cum neutrum sine vitio producere queat, Anne vocem ipsam cum quadam suorum significatorum precisione, hoc ambitu extensam dabit? Non dabit opinor: cum de vocibus q. 2. omnem jam curam deposuerit, adeoq; frivolum futileq; Sophisma habeat, quod ex vocis rei q; significata in his etiã oritur confusione.

33. Ergo non ens rationem aliquam notabit, qua nihilo & alicui sit communis: quam & univocã suspicari liceat, quod tam aliquid, quam nihil eo contineri dicatur. Et tum praesidio omni depulso integra redibit questio, cur non Enti in ordinata ista Intellegibilem structura locus datus sit nullus?

34. Quod si tamen hac levia cuiquam esse videantur, is mihi ad hac Timpler. q. 2. verba vocandus est, cum ait, Aliquid comprehendere Ens & non ens. Et mox: non ens, suo ambitu completi tam aliquid quam nihil.

35. Praclarum mediis fides *περὶ ἀποδείξεως* exemplum: cujus neq; in humanis nec divinis simile unquam ante hac tempora est repertum: qua contradictorijs speciebus propositis, genus & illas complectatur, & ab illarum altera mox comprehensum,
ambis

ambitum suum retineat, tamen: & si quid præterea immensa
in hæc subtilitatis est, quod alijs considerandum relinquo.

36. Λεγόμενος Ciceroni (apud Macrobi) Caninius est,
qui consulatum inijt pariter & ejuravit. De vocabulo cum Leo-
pardo contendat. Castalion (observ. decad. 10.) ego rem ipsam
in hac Intelligibilium theoria videre mihi videor, Timplerum
Caninio consuli similem Metaphysicum.

37. Imaginaria hic pleraq; & asserta pariter patiterq; de-
serta: nec consulatum ille citius deposuit, quam hic sui subjecti
curam. Ecquid enim vel communem aliquam intelligibilium no-
bis rationem exhibet? vel Intelligibilitatem, quid sit, explicat?
affectiones ad vera scientia modum assignat? principijs adductis
demonstrat? ne tentavit quidem.

38. Haud sane nihil est, quod de Intelligibili cognoscendum
homini philosopho occurrit. In quibus primum Timpleri pec-
catum, quod talia non tetigerit; quod ad Metaphysicam trahen-
da judicavit; quod pro subjecto universalis scientia haberi cu-
piat; cum neq; ente (mox dicam) latius pateat Intelligibile; &
in velatorum ordine positum, affectionum in numero sit, qua de
alio subjecto veniat demonstranda.

39. Si ergo vel maxime de Intelligibili scientia detur, ea
tamen scientiam hanc Entis Quatenus Ens nequaquam destruet.

40. Modus vero considerandi (quatenus sine ullo materia
conceptu apprehenditur) nisi ad communem revocetur senten-
tiam (quod ille tamen neq; velit, neq; Lavaterus permittet) im-
peritia plenus est; cum omne quod intelligitur, abstractionem à
materia requirat.

DISSERTATIO SECUNDA

Ente, ut Platonici divisum, neglecto, cum Arist. 5. Met. cap. 7.
latitudo Entis perlustrata: Hinc de conceptu ejus suscepta considera-
tio: quem primum & summum, Unum etiam formaliter & objective
asserō.

Thesis I.

Platonicus Ens & semper Ens, idem est; graduum tamen ali-
qua

qua admissa differentiâ. Quorum fastigium teneat. Entis in-
tium; quod non Ens, sed Supra ens. Sub eo Mens, p[er] se, Idea;
quae simpliciter Ens sine & Unum. In tertio gradu, anima consti-
tat; in qua Ens cum non ente quasi complicatum sit, ut tamen
ratio Entis potior habeatur.

2. Hanc succedat natura corporea, & imitationes Idearum;
in quibus Ens cum Non ente commissum, primas Non enti conce-
dat. In imo vero relicta materia, infra Ens posita ejusq[ue] nomine in-
digna, vere non Ens dicatur.

3. Hac Theopulus Academ. contem. l. 2. c. 11. ad mentem Plo-
tini quidem Enn. 1. l. 8. c. 3. & 4. Enn. 2. l. 4. c. 15. & c. forte &
Porphyr. l. de occas. & aliorum: non tamen omnium hujus Scho-
la; imò pene dixerim ne quidem ipsius Magistri.

4. Secretior quippe à Temporis durationisq[ue] praescriptione
ratio Entis est; & τὸ μὴ ὄντ' apud Platonem varietas major
quàm ut tanta vicissitudinis periculo ipse Ficinus in comen. Enn.
2. l. 4. c. 17. ea committere ausit.

5. Et quid fiet apud nos, quibus Essentia existentiaq[ue] per-
suaesa est diversitas: ejusdemq[ue] essentia habetur, qui 10. quàm
qui 100. annos vivit homo: ut ex notione Entis, quam sequitur
Peripatus, elucescit.

6. Aristotelis 4. Metaph. 2. 2. verba sunt, Ens quidem
πῶμαχῶς dici; veruntamen πῶμαχῶς ἐν, καὶ μὴ ἴσῃ τὴν ἐν τῷ Φύσῃ, & non
ἰσῶν ἰσῶς.

7. Equivocum enim si fuerit, (inquit Averr. tract. 2.
Epit. Met.) nec subjectum scientia hujus erit, nec predicata es-
sentialia habebit ulla, nec species.

8. Major ergo vocis latitudo est, qua 5. Metaph. c. 7. sese
diffundit ad id quod Per accidens, & quod Per se.

9. Per accidens est, quod ex duobus simplicibus consta-
tum, unum quidem sit, sed accidentaria & quasi fortuita con-
junctione, utpote per causam minus necessariam.

10. Modi ejus tres. 1. In duobus accidentibus, quae uni

B

sub-

subjecto quod insint, ratione isthac de se invicem predicantur, ut, musicum esse justum.

11. 2. in accidente & subjecto, cū hoc de illo dicitur, ut, musicus est homo. 3. cum accidens dicitur de subjecto, ut homo est musicus.

12. Veritas harum predicationum evidens est; nec sensus obscurus. Prima quidem, eō, quod cum accidens utrumq; (musica, justitia,) subjecto uni vere in sit, illudq; denominet; unum etiam de altero in concreto recte dici queat; hoc sensu, quod cui inest musica, eidem inest & justitia.

13. Secunda vero tertiag; quia cum vere insint subjecto, nihil obstat, quo minus & subjectum de accidente; & accidens de subjecto dicatur, hoc sensu, quod subjectum habeat accidens illud, & accidens habeatur ab illo.

14. Soncinus 6. Metaph. q. 13. explicatius quippiam hic nobis daturus, quatuor induxit modos, quibus Ens per accidens variatur. 1. Accidentalitate predicationis: quando predicatum subjecto assignatur, nullo modorum Per se, 1. Post. c. 4. enumeratorum; si vel maxime alterum ab essentia alterius non sit alienum, v. g. calefactio est calor.

15. 2. accidentalitate rei, quando predicatum est extra subjecti essentiam, si vel maxime inter affectiones ejus sit, & per causam determinatam insit. 3. Quod ex duabus rebus coalitum, per causam minus necessariam. 4. accidentalitate causa. dum effectus comparatur ad causam, à qua per se non dependet, ut Musicum edificat.

16. Entia per se, illa sunt, qua in se unum quid, seipsis in predicamento uno locantur: adeoq; per predicamentorū illa genera speciesq; sese diffundunt, & naturā uniuscujusq; rei explicant.

17. Est & aliud hīc Entis genus ab Aristotele (haud incidenter tamen ut Scotum hoc loco velle video) positum in effectū, terminorumq; comparatione ad rem, ab Intellectu deprehensum: quo verum falsumq; esse dicimus, quod ita est, vel non est, sicut esse vel non esse judicatum pronunciatumve habeatur.

Porro

18. Porro autem ipsum Esse & Ens per se, ad existentiam relata (id Participale Ens dicitur, ut alterum, nominale) dividuntur in Ens actu & potentia; quatenus vel actu existunt (id enim ens actu est) vel existere possunt; cujusmodi in potentia esse & dici, suo loco planum faciemus.

19. Ex hiis (ut alia mittam) non obscurum esse potest, quantitas Entis, etiam per se dicti, latitudo sit; Cujus naturam rationemque, nisi ex Intellectibus communissimo illo ac notissimo, de rebus omnibus, conceptu vix deprehendas; Ut nimirum Ens sit, quod primo omnium in omnibus Intellectibus concipit, & in quo resolutione in omnibus facta, postremo omnium velut apice summo conquiescit.

20. $\phi\theta\theta\lambda\kappa\delta\nu$ Melisse $\nu\theta\gamma\omega$ 1. phys. 22 Parmenides (licet & ipse vitiose falsoque concludat) artificiose tamen (judice Themistio 1. 25.) compositis propositionibus commutavit; sic arguendo: Id quod prater Ens, non est Ens. Id quod non ens est, nihil est; ex quo aliud quidem Parmenidi, nobis hoc recte sequitur, quod prater Ens est, esse nihil.

21. Et huc gradibus illis abstractionum, à Caiet. de Ent. & Ess. structis, ascendere promptum est, hoc tamen è Scotistarum Schola mutuato adminiculo, quod à quibuscunq; similibus, una quadam, utriusque communis, & utroque prior, abstrahi queat (verbo illorum utor) realitas objectiva.

22. Conveniat ergo Plato cum Socrate, (& non cum Bucephalo) eo, quod uterque homo sit: Abstrahit hic Intellectum humanitatem; naturam videlicet unam, utriusque communem, utroque priorem, secundum quam, uterque homo sit.

23. Conveniat homo cum Bucephalo in sensibilitate, (& non cum planta) abstrahitur hinc animalitas, communis & prior utroque.

24. Conveniat animal cum planta in vegetabilitate (& non cum lapide) abstrahitur vita communis & prior utroque.

25. Conveniat vivum cum lapide in ratione corporis (&

non cum angelis) abstrahitur corporeitas communis & prior utroq.

26. Conveniat corpus cum angelis, in ratione substantiae (& non cum accidentibus) abstrahitur substantialitas communis & prior utroq.

27. Conveniat substantia cum accidentibus in entitate reali, (& non cum entibus rationis) abstrahitur Entitas communis & prior utroq. : cuius conceptus jã secundis, & in summo resolutionis fastigio constitutus, interiore mentis impulsu Parmenidis illa voce uti licet, Quicquid est præter Ens, est non ens.

28. Alius hic quidem ingreditur Franciscus de Mayrone, abstractionem ut Zimara vocat in Tab. magister: qui in Ente rationis & reali convenientiam deprehendere sibi visus est: adeoq. naturam unam communem & utriq. priorem abstrahit. Quam tamen extra Entis supremos hosce cancellos educere ausus nõ est.

29. Omnium longe audaciam supergressus Timplerus, cum Ens ipsum genere Alicujus positivi, quo etiam definiretur, conclusisset, aliquid & nihil construxit, genera, ut appellat summa. Quibus tamen ipsis ipse fastigium quodnam imposuerit Intelligibilitatis, priori dissertatione unã cum Nihilo perlustravimus.

30. De Aliquo hic pauca, ferme enim publicè jam notum. Aliquid tripliciter acceptum. 1. pro nota particularitatis. 2. pro eo, quod non est nihil. 3. pro divisione unius rei ab alia. v. Arnif. de Const. Met. c. 13.

31. At primo quidem modo, cum nota sit particularitatis & clausura, (ut Averr. loquitur) latitudinem entis, certè non assequitur. Secundo, Entis Synonymon est, & conceptus cum eo fruitur eodem: Tertius vero modus & prorsus ab hoc loco, & à notione vocabuli, mentisq. conceptus alienus est.

32. Non ergo aliquid Genus entis est; multo minus aliquid positivum, quod ipso Ente strictius agnoscimus: Et quicquid opera ad genus & differentiam Entis investigandam definiendi studio confertur, irritum id omne putamus.

33. *Me quidem generalitas illa terret, ac simplicitas: Conceptus item horum utriusque compar: quem revera tamen Unum esse profiteamur, ab inferioribus omnibus formaliter praecisum: cuius una quadam objectiva ratio, in communi illa rerum omnium convenientia respondeat.*

34. *Conceptum hic dicimus, quasi prolem fetumque à mente in rerum contemplatione genitum, ei praesentatum, ab eadem benigne susceptum.*

35. *Quem duplicem tamen agnoscimus, formalem & objectivum.*

36. *Formalis, est noëma ipsum, & similitudo seu species formata ab Intellectu ad representandum formaliter objectum. Objectivum, est ratio illa vel res, ad quam in intelligendi actu fertur Intellectus, quaeque proprie & immediate per conceptum illum formalem representatur.*

37. *Ut ergo vox ipsa (Ens) una est, & prima sui impositione, mortalium consensu, nulli rerum particularium, privatim addicta, sed omnibus communis: ita & formalis Entis conceptus unus est, praecisus à conceptibus rerum sub ente contentarum; per modum simplicis imaginis, (inquit Suarez.) representans id, quod per vocem ad placitum significatur.*

38. *Argumenta huius rei desideras? age te Ipsum consule, & domestico tui Intellectus, quando Ens illud commune concipis, utere testimoniis quo ut nihil hic certius est, planiusque dici potest, sic quisque tamen experitur, non distrahi in hoc cogitatione animum, sed ad unum aliquid colligi: imo conceptu Entis jam habito, dubium nonnumquam suboriri, nunquid substantia vel accidens sit? Quam dubitationem solvere potius non est, nisi à confusa illa Entis ratione, ad proprios substantiae & accidentis conceptus descendat.*

39. *Inter objectivum autem & formalem conceptum, si responsus mutuus est; & proportio illis, qua inter mensuram & mensuratam intercedit: formali concesso, objectivum negari nequit.*

40. Et quid mirum? cum rerum omnium, in ratione es-
sendi, communi inquam illâ & abstracta, non sit convenientia
nulla: quam vocabulum ipsum Entis designat, & Metaphysicus
sibi subjectam habet.

41. Verum Zimara verbum 4. Metaphy. contr. 3. Si Ens
quatenus Ens, non diceret conceptum unum analogum, ratione
distinctum à conceptibus suarum inferiorum, non posset de eo fieri
demonstratio.

42. Nimirū, Analogum hunc (ut aliàs dicemus) conceptum
habemus, & Unum: sed ratione tantū à rebus subjectis abstractū.

43. Reipsa enim in Ens Infinitum, & finitum, substantiam
& accidens dividi, concedimus Averroi: ita quidem ut communis
illa Entis ratio, revera esse & existere non possit, nisi in Deo &
dependentibus ab illo.

44. Et sic accipimus quod Scegkiius inquit lib. Periher. c. 3.
Ipsum Ens nihil per se significat, si ei nullius generis, ut substan-
tia, qualis: subjeceris intelligentiam.

45. Quod vero in anatomes Resp. idem inquit: Ens seipso
nihil significat, sed ratione alterius, ut in Ziphrarum notulis o
conditione sua tantum consignificati alienum est.

46. Magnum Petri Ioh. Nunneseij de remedijs Philosophica
obscuritatis votum est; neq; in eo pars minima, quā de vocabulis
artium, apertioribus quibusdam alijs explicandis, concepit, &
in Quidditatis & Essentia vocabulis prestare conatus est
hoc modo.

47. Essentia inquit seu Quidditas nihil aliud est, quam
conjunctio partium essentialium, quæ rem efficiunt: ut in homine,
corporis & animi, qui particeps est rationis.

48. In rebus vero quæ carent corpore, concursus causa effi-
cientis & finis, ut Quidditas Logica, est ars differendi. Nam
Quidditas nihil aliud est, quam hoc ipsum quod res est. Res au-
tem corporea: nihil aliud, quam partes illius naturales & effi-
cientes

cientes simul sumpta: & qua vacat corpore, nihil aliud, quam
finis & efficiens conjuncta.

49. Sic vere expressam ait Nunnesius Quiditatis signifi-
cationem. An verè, hæc indicio erunt, qua de vocabulo utroq;
tangemus breviter. Essentia nomen (inquit Thom. de Ent. c. 1.)
sumitur ab Ente realis; quod in 10. predicamenta Aristoteles divi-
dit; Et significat Essentia, aliquod commune omnibus naturis per
quod diversa Entia in diversis generibus & speciebus collocantur.

50. Habent enim sese (ait Cajet.) Ens & Essentia, ut Quod
& Quo. Unde sicut Ens primo designat quippiam commune
omnibus; nec non id, quod est in quolibet genere ac specie; ita Es-
sentia est, quo ista designantur, ut per Essentiam intelligatur
ipsa natura rei (v. g. humanitas) per Ens, id quod naturam
illam habet.

51. Et quia illud per quod constituitur res in proprio genere
vel specie, est, quod significamus per definitionem indicantem
Quid est res; hinc nomen quidditatis & τὸ τί ἐστι, τὸ τί ἦν
ἐῖναι, frequentur Aristoteli usurpata.

52. Ens ergo concreti, Essentia vero quasi abstracti ratio-
nem habet, s; vocabula, & communem Philosophantium attendas
sententiam. Unde apud aliquos essentia, & id cuius est essentia,
rationis tantum distinctione separata sunt. Quibus vero aliud est
essentia, aliud item cuius est Essentia; major etiam utriusq; poni-
tur diversitas inter Ens & Essentiam; ad minimum illa, quam
dicunt, ex natura rei.

53. Aristotelem si respicias, plane hæc coincidere forte vi-
deantur. Usurpata quippe illi Essentia, tam pro natura abstracta
à singularibus, quam pro singularibus ipsis, & partibus eorundem.

54. Istud quasi in usu publico est, ut essentia sumatur pro for-
ma totali, abstracta à singularibus, & quatenus existere potest est,
non ut actu existit. Hoc enim per concretum Entis frequenter
exprimi, notum est, & hinc factum, ut Ens participialiter acci-
piatur, pro eo quod existit. Quæ tamen significationis ratio, à
præsenti Entis consideratione (quæ nominalis) est, remotior.


55. Et quanta ergo Timpleri subtilitas? Cui Ens & Essentia, opposita genera unius species sunt; quo non obstante, Ens tamen definire Timplero liceat, Aliquid positivum habens essentiam. O species praeclare distinctas! cujus una, definitionem & essentiam alterius ingreditur.


56. At vero quid in his recondita eruditionis esse putas dum idem quarit, An omne Ens unam habeat essentiam? An Ens salvum manere, destructa ipsius Essentiâ possit? In quarum prima ad negantem inclinât ille; in altera ita subtilis est, ut & ridicule querere, & nugae agere à Clariss. Iacobo Marti, disp. 2. recte dictum existimemus.

57. Porro autem quae Entitatis & actus Entitarii ex his efflorescit consideratio, integra, ut par est, dissertationi reservabimus.

COROLLARIA.

1. Nec locus nec visibilitas, corporis naturalis affectio est.
2. De Loco methodice & vere ab Arist. 4. Phys. disputatum est.
3. De subjecto Ethices non recte censuit Piccol: & ne de Padiâ quidem:
4. Sine imaginibus & idolis, neq; in sensu neq; intellectu: neq; in arte, neq; in natura quicquam fit.





lud contineri quod voce unius exprimitur, & affertur, superiori disp. th. 49. & seq. constitutum esse, nempe unum non esse Indivisionem sed Ens significatiu videlicet adequato. Indivisionem vero Entis rationem, Enti superadditum, rationem unius


38. In Unitatis autem notionis cum duplici conceptus, 1. Entitatis indivise, 2. privationis Enti iuri possit, Nunquid unum primò dicat Ens, vel in primum illum conceptum secundo anteposimus. quod superiori disp. th. 36. iam ante constitutum

39. Quibus recta ratione comparatis facit inquit Arist: Unum non esse prater Ens: unum esse naturam, propterea quod se invicem sequantur una ratione significantur: 4. Met. t. 3. & quod in aut simpliciter, aut prout est unum, indivisibile est. Ego enim qua unus sum, individuus sum, neque scilicet quemadmodum homo universale, ut in aliis hominibus. Qua vero sum quantus, dividuus sum. &c.

40. Neque obscurum esse potest, quam plane rationes Tompleri 2. c. 3. q. 11. eò quod unum non vel indiviso: sed Ens indivisum. Et (verba absurda non sit, tribuere Deo nomina privatiua imperfectionem significant, cum id, cuius absentia imperfectionem importet.

41. Imò vero, si extra ens consideretur unum non designati: ita omnem quam habet, ab Ente etiam respectu magis & minus accipit: Et omnino ipso, quatenus ens, vel tale Ens, simplicitatis vel imperfectionis vel imperfectionis est, id omne unitati rationem cum Ente, commune est.

42. Ex eodem hoc fundamento nascitur, quod respondendum est: In quibus ut plerumque recte dicitur concluditur, veritati sententiae proposita nequaquam



the scale towards document

077